B. N. C.
FIRENZE
1038
17

XXXIV
.1.A.S
MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1038
17

XXXIV
MAS

81

DISPVTATIO
DE
PRAEDESTINATIONIS
ET REPROBATIONIS MYSTERIO.

Promota a Fratre CYPRIANO de MASIS Florentino Auguſtiniano in almo Theologiæ Gymnaſio S. Nicolai Piſarum Regente.

Pro D. P. Auguſtini S. Thomæ, & B. AEgidij Columnæ firmiſſima sententia.

1038.17



PISIS, Apud Ioannem Fontanum, M.DC.XXI.
Superiorum permiſſu.

Perilluſtri, ac Reuerendiſſimo D. D.

BENEDICTO LEOLO

PROTONOTARIO APOSTOLICO,

Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. D. IVLIANI MEDICES, Piſarum Archiepiſcopi, Vicario, & Locumtenenti Generali.

Frater IO: BAPTISTA à Loconouo Auguſtinianus Magiſter Stud. F.

ROSAM terreſtrem, floſculum mirabili natiuitate pullulãtem obſeruaui; Hęc etenim florentiſſimo vernantis anni tempore concepta, noctu è grauido palmite proſiliens, naſcitur infantula, mane virgineum adaperiens ſinum, cæleſti paſta humore, ſuos aduerſo ſole fundit aſpiciẽtibus mixtos coloribus odores; prouiditq; natura ne temerario labefactetur vngue ſpinoſo quo ſæpitur propugnaculo. Roſam, cæleſte germen (Perilluſt. ac Reuerendiſs. D. D.) ſimili nobis modo procreatam cõtemplatus ſum: Concipitur in primo ætatis noſtræ flore, nocturniſq; emiſſa in lucubrationibus, cæleſtibus arca-

nis, vti rore illa enutritur, Mox ędita in lucem, & radiantibus argumentorum telis repercuſſa, ſuam aſpiciētibus diſſeminat vbiq; claritatem, ſuorum audientibus ſpargit fragrantiam odoramentorũ. Hanc ego quam cernis, enutriui, ſubitoq; natam, vt à rapacium linguiſq; manibuſq; præſeruarem, Te fortiſſimo virtutum vniuerſarum mænio circumdedi. Carpe illam igitur (Præſul Reuerendiſſ.) Tibi enim vnico ex inculto adhùc ingenij mei hortulo naſcitur offerenda. Vale.

AR-

ARGVMENTVM

In labijs meis pronunciaui omnia iudicia oris tui, Pſal. 118.

SApientiſſimus ille myſteriorum cæleſtium indagator Dionyſius omnẽ quæ ab infirma proficiſcitur hominum induſtria, diuinarum rerum ſcientiam, ſtultam ſapientiam, & myſticam caliginem appellat, ita vt innuat non obſcurè neminem vmquam mortalium aut tam lynceum fuiſſe, vel fore, qui res tàm altè demerſas è reconditis tenebris eruere, aut tam perſpicacem qui omnia, & ſingula, quæ in latis, atq; inexhauſtis Theologiæ oris deliteſcunt perluſtrare, aut denique tàm in contemplando acrem qui difficultates, quę ad ſacram doctrinam ſpectant animo compræhendere poſſit. Deus enim habitat lucem inacceſſibilem, quod præcipuè experimur circa altiſſimum Prædeſtinationis, & Reprobationis Myſterium: Quod quidem vſq; eò mortalium ingenia malè torſit, vt Imperiti de eo imprudenter cogitantes in deſperationem quamdam adducti ſint; ſapientes verò, nimio ſtudio, & ſollicitudine cauſam inquirentes, vt res humanas cum diuina prædeſtinatione, nec non reprobatione componerent, in maxima abſurda prolapſi fuerint. Hoc autem vti me nec ſemel, nec parum deterruit, ſic etiam à conſummandis euulgandiſque meis lucubrationibus (maximè circa hoc myſteriũ) omnino reuocaret, niſi mihi ille Doctiſſimorum Sanctiſſimus, & Sanctiſſimorum Doctiſſimus P. Auguſtinus ſic ſcitè dicendo eßet opitulatus. Si Deus inacceſſibilis ſit viribus noſtris, accedatur ad eum muneribus ſuis, ſic etenim Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur, Vates Regius aſſeruit Pſal. 33. Quinimò Ipſemet Deũ ipſum eſt allocutus vt propoſui In labijs meis, pronunciaui omnia iudicia oris tui. Quò loci D. Ambros. Con-

ſidere-

ſideremus (inquit) quia non dixit Pſalmiſta Iudicia oris eius abyſſus multa, ſed dixit Iudicia tua abyſſus multa. Nec Apoſt. ſimiliter dixit Inſcrutabilia iudicia oris eius; At inſcrutabilia iudicia eius; Poſſumus namq; iudicia Dei inſcrutabilia dijudicare, quę occulta nobis non patefecit: Iudicia autem oris eius, illa nimirum quæ nobis annunciauit, & per os Prophetarum & ſacrorum Conciliorum Decreta aperuit, non veremur labijs noſtris poſſe pronunciare. Aggredimur itaq; diuinę prædeſtinationis, & reprobationis perdifficilem diſputationem, cuius veritatem ità cũ ſacris ſcripturis, & Sanctorum Patrum dogmatibus enitemur exponere, vt nec hominibus ſpes ſalutis adimatur, nec diuinæ prædeſtinationis excellentiæ quicquam derogetur, quod humiliter à Deo expoſcimus qui iuſtè huiuſmodi myſteria abſcondit à ſapientibus, & miſericorditer ea reuelat paruulis. Interim (acutiſſime Lector) aureum D.P. Auguſtini dictum lib.6. de Trinit. cap. 10. quæſo recolas; quod eſt, Qui videt hęc vel ex parte, vel per ſpeculum, & in enigmate, gaudeat, cognoſcens Deum, & ſicut Deum honoret, & gratias agat; qui autem non videt, tendat per pietatem ad videndum, non per cæcitatem ad calumniandum.

Sitne neceſſarium in Deo ponere Prædeſtinationem? I.

NOn defuerunt, qui Prædeſtinationem in Deo eſſe negauerint, vt colligitur ex D. P. Auguſtino lib. 2. de bono perse. cap. 14. Putabant enim prædeſtinationem nihil aliud eſſe, quàm fatum, quo poſito libertas arbitrij tollitur. Tamen certum eſt de fide Prædeſtinationem Deo conuenire, quia SS. Patres & ſacra Scriptura prædeſtinationem ſub hac eadem voce Deo attribuit; & quia certum eſt de fide multos eſſe qui diuina virtute & auxilio tranferuntur in vitam æternam, neceſſe eſt autem, vt hoc fiat ex voluntate, præſcientia, & prouidentia Dei; & ità pręcedit in Deo ratio ſeu conceptio, ac voluntas illius tranſmiſsionis quæ tempore fit, quæ quidem ſignificatur nomine prædeſtinationis; quæ eſt vox, ex præ, & deſtino conflata; & ly præ, poteſt ſignificare, vel ſolam anteceſsionem æternitatis ad tempus, vel etiam ordinem aliquem ſeu prioritatem ratio-

nis

nis inter ipſos actus diuinæ ſcientiæ & voluntatis, vt autem aſſertio noſtra fidei certitudinem habeat, ſumenda eſt illa particula, præ, vt dicat ſolum anteceſsionem æternitatis ad tempus; Quod non obſcurè docet S. Tho. 1. p. q. 23. a. 1. dicens Rationem deſtinationis in finem ſupernaturalem præexiſtere in Deo antequam res fiant, & propter hanc anteceſsionem ad rem ipſam vocari prædeſtinationem. Imò cum prædeſtinatio ſignificet ratione ordinis ſeu tranſmiſſionis infallibilis creaturæ rationalis in vitam æternam, & ſolus Deus poſsit rem creatam ordinare hoc modo in finē, tum propter excellētiam illius finis, tum etiam propter infallibilem, & efficacem prçordinationem quæ poſtulat infinitam ſapientiam, & omnipotentiam Dei, dicimus quod prædeſtinatio non ſolum eſt in Deo, ſed ſoli illi conuenire poteſt.

Quidnam ſit ipſa Prædeſtinatio? II.

PRædeſtinatio multis modis a ſanctis Patribus, & ſacris Doctoribus definitur; quia diuerſimodè conſideratur; conſideratur enim aliquando ſecundū finem ad quem boni tendunt, & ſic dicitur Prædeſtinatio, eſt aliquorum electio in finem ſupernaturalem; Aliquandò ſecundum remiſſionem culpæ; & ſic dicitur Prædeſtinatio eſt diuinum propoſitum miſerendi, ideſt à miſeria & culpa liberandi; Aliquando definitur ab auxilijs per quæ tendit in finem propoſitum, & recedit ab oppoſito, vt fit per gratiam. Et quia gratia quatuor modis conſiderari poteſt, tot etiam poſſumus definire prædeſtinationem; Nam ſi gratia comparetur ad dantem, & vt ſic conſideretur habet rationem doni, prædeſtinatio ſecundum hunc modum concepta dicitur à S. P. Auguſt. de fide ad Petrum, quod ſit præparatio gratuitæ donationis; Si ſecundo modo conſideretur gratia vt cōparatur ad recipientem & dicitur beneficium; Penes hunc modum Prædeſtinatio eſt præparatio ad beneficia diuina. Tertio modo quia poteſt conſiderari gratia vt comparatur ad finem, prædeſtinatio ita ſumpta eſt præparatio ad vitam æternam ex D. P. Auguſt. lib. de Prçd. ss. Quarto modo poteſt conſiderari ipſa gratia ſecundum ſe, & ſic vt eſt vir-

rus initiata dicitur gratia, ſed vt eſt conſummata dicitur gloria, & ſecundum hoc Prædeſtinatio eſt præparatio gratiæ in pręſenti, & gloriæ in futuro. Abſolute autem & ſimpliciter loquendo Reſpondemus quod Prædeſtinatio eſt præſcientia & præparatio beneficiorum Dei quibus certiſſime liberantur quicumq; liberantur vt habetur ex D. P. Auguſt. lib. de bono perſeuer. cap. 14.

Sit ne Prædeſtinatio actus immanens ex æternitate Deo conueniens? III.

RESpondemus Pręďeſtinationem eſſe actum immanentem in Deo, quem prædeſtinãtem denominat intrinſecè; Dicit enim D. P. Auguſt. quem ſequitur S.Tho. 1. p. q.23.a.2. quod prædeſtinatio eſt præſcientia beneficiorũ Dei, patet autem quod præſcientia non eſt actus tranſiens ſed eſt in præſciente & non in præſcitis. Vnde cum ipſo aſſerimus etiam quod prædeſtinatio nõ ponit aliquid in prędeſtinato, ſed executio eius non actiue ſed paſsiuè ſumpta, cum hoc ſecundo modo tantum ſit in prædeſtinatis, & primo modo tantũ ſit in Deo prædeſtinante; Et cum D.Paul. ad Rom. 8. dixerit Quos præſciuit, & prædeſtinauit, hos vocauit, & iuſtificauit; non autem dixerit hos præuocauit, ſeu præiuſtificauit; Dicimus quod prædeſtinatio & præſcientia dicunt actionem immanentem ex æternitate Deo conuenientem; vocatio verò & iuſtificatio dicunt actionẽ temporalem & tranſeuntem & ſunt executio ipſius prædeſtinationis ex D. Tho. loco citato.

Qua nam præſcientia intelligenda ſit in definitione Prædeſtinationis? IV.

QVęſito occurrimus; pręſcientiam in pręaſsignata definitione prędeſtinationis quam tradit S. P. Auguſt. & amplectitur D.Tho. 1.p.q.23. ar.2. dicens quod prædeſtinatio eſt pręſcientia beneficiorum Dei, poſſe ſumi pro ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſeu naturali quæ pręſupponitur in Deo in ſigno rationis ad prędeſtinationem, vel

pro

pro ſcientia libera ſeu viſionis qua Deus præcognouit ſubiectum prædeſtinandum, nam habemus ex D. Tho. 3. p. q. 1. a. 3. ad 4. quod prædeſtinatio præſupponit præſcientiam futurorum. Subintelligas, non omnium ſed aliquorum, eorum videlicet quæ non conſtituuntur vel efficiuntur per ipſam prędeſtinationem. Sumas etiam pręſcientiã beneficiorum vt expreſſe docet S. P. Auguſt, Sed ſcias præſcientiam ita ſumptam nõ antecedere in ſigno rationis, ſed potius ſubſequi liberũ Dei prædeſtinantis decretum. Ideo quippe Deus hæc pręſciuit quia prædeſtinauit, vt docet S. P. Auguſt. de prędeſt. ſanct. cap. 10. & cap. 17. ait Electi ſunt ante mundi cõſtitutionem ea prędeſtinatione in qua Deus ſua futura facta præſciuit. Non placet autem nobis vllo modo ſententia dicentium quod prędeſtinatio eſt pręſcientia media qua Deus præcognoſcit ante decretum ſuũ quid facturum ſit tale liberum arbitrium ex innata ſua libertate ex hipotheſi quod tali gratia ſufficienti, & in talibus circũſtantijs excitaretur; Non enim hanc ſcientiam quam dicunt mediam inter naturalem merè, & merè liberã in Deo admittendam eſſe, defendimus, cum eius obiectũ ante decretum Dei non habeat rationem cognoſcibilis diuerſam ab obiecto ſcientię ſimplicis intelligentiæ.

Sit ne Prædeſtinatio actus liber, vel neceſſarius Dei? V.

CVm certum ſit de fide quod quę Deus facit liberè facit, operatur enim omnia ſecundum conſiliũ voluntatis ſuę ad Ephes. 1. cumq; dicat S. P. Auguſt. Ea Deum prædeſtinaſſe quę fuerat ipſe facturus, aſſerimus de fide eſſe fateri, abſolutè & ſimpliciter loquendo prędeſtinationem eſſe actum merè liberum Dei. Imò firmiter teneas, vt S. P. Auguſt. ſępè docuit quod in hoc actu maximè cernitur libertas diuinę voluntatis, quia non ſolum liberum ei fuit prędeſtinare, aut non prędeſtinare, ſed etiam pro libera voluntate ſua hunc potius quam illum prędeſtinauit. Vnde hoc opus, maximè opus gratię, & liberalitatis Dei ab eodem S. P. Auguſt. varijs in locis, & pręcipue de prædeſt. ſanctorum, vocatur. Atq; hinc oritur vt obiter notemus

quod licet certiſsimum ſit prędeſtinationem eſſe in Deo, omninò tamen nobis incertum ſit, An prędeſtinatio ſit huius vel illius hominis. Quo ſenſu definiuit Conc. Trid. Seſs. *6.* can. 15. Neminem poſſe eſſe certum de ſua prędeſtinatione abſq; ſpeciali reuelatione. Quis enim cognouit ſenſum Domini aut quis conſiliarius eius fuit? ait Apoſt. Rom. 11. Non tamen negamus quod etiam ſecluſa ſpeciali reuelatione poſsit ex aliquibus ſignis, certa eſſe fidelibus propria vel alterius prædeſtinatio certitudine quadam cui abſolute loquendo poſsit ſubeſſe falſum, & quæ non excludat omnem formidinem & timorem de oppoſito.

Sint ne ex fidelibus plures prædeſtinati quàm reprobi? VI.

NOn eſt dubium quod ſi loquamur abſolutè de omnibus hominibus multo maior eſt, & incomparabiliter maior numerus Reproborum quam prædeſtinatorum; habetur enim lib. 4. Eſdrę cap. 8. Terra dabit multam terram vnde fit fictile, paruum autem puluerem vnde aurum fit; ſic multi quidem creati ſunt pauci autē ſaluabuntur; ac ſi apertius diceret, qua proportione terra ſuperat puluerem auri, ea reprobi prędeſtinatos excedūt. Et Matt. 20. Multi ſunt vocati pauci vero electi. Vtrum autem in ſola Chriſtianorum multitudine plures in Cęlum eant, quam in infernum cadant, certò aſſeuerare quis audeat? libentius tamen Sētentiam defendemus aſſerentium plures perire etiam ex Chriſti fidelibus quā ſaluari. Nam Ait S. Gregor. hom. 1*9.* ſuper Euangel. Ad fidem multi veniunt, ſed ad cęleſte regnum pauci perducuntur. Et S. P. Auguſt. lib. *3.* contra Creſcon. cap. *66.* explicans illud Matt. 8. Multi ab oriente, & occidente venient & recumbent cū Abraham &c. inquit quod Electi nunc multi dicūtur nunc pauci, quia ijdem ipſi boni veriq; Chriſtiani, qui per ſe ipſos multi ſunt, in comparatione malorum falſorum itidem pauci ſunt; ſicut multa grana quibus horrea magna complentur pauca dicimus in comparatione palearum; & epiſt. 48. ad Vincent. & lib. 13. cont. Fauſtum idipſum confirmat. In particulari autē quot ſint prędeſtinati ſoli Deo cognitum eſt vt S. Tho. 1. p. q. 23.

q.23.a.7. probat ex illa oratione Eccleſię: Deus cui ſoli cognitus eſt numerus electorũ in ſuperna felicitate locandus.

Quonam modo res cadant ſub Prędeſtinatione? VII.

DVobus modis poſſe rem aliquam denominari prędeſtinatam tenemus; primò in ordine tantum ad eſſe vel fieri, quomodo gloria vel fides dici poteſt prędeſtinata; ſecundò in ordine ad aliquid pręter ſuum eſſe vt dicitur homo prædeſtinatus ad gratiam vel gloriam: ex quibus duobus quæ in tali locutione includuntur ſub prędeſtinatione, vnum appellari ſolet obiectum, aliud terminus prędeſtinationis. Res enim illa quę propriè & immediatè prędeſtinari dicitur, obiectũ prædeſtinationis vocatur, effectus autem vel finis ad quem dicitur prędeſtinari, appellatur terminus talis prędeſtinationis. Poteſt autem inter has duas res in diuerſis ſẽſibus ſeu generibus cauſarum intercedere quædã reciprocatio ſeu denominatio mutua; Nam dum vna res prædeſtinatur ad aliquem terminum, etiam terminus ipſe prædeſtinatur in ſuo genere cum habitudine ad aliam rem cuius eſt finis; Vt verbigratia Homo dicitur prædeſtinatus ad viſionem beatificam, viſio autem ipſa dici poteſt prædeſtinata ad fęlicitatem hominis, ideſt vt ſit forma intrinſecè beatificans hominem formaliter.

Quę nam res cadant propriè ſub prædeſtinatione tamquam ut obiectum ipſius? VIII.

PRopriè & ſecundum receptum vſum loquendi prædeſtinatio de qua nunc loquimur reſpicit tamquã obiectum in quod immediatè cadit, perſonam aliquam creatã, eamq; denominat prædeſtinatam ad aliquem terminum ſiquidem perſona creata eſt quæ propriè ordinatur efficaciter in vltimum finem ſuperãtem naturam eius quod eſt ſignificatum prædeſtinationis, vt ſupra viſum eſt. Hinc ſequitur illam prędeſtinationis denominationẽ qua res dicitur abſolutè prædeſtinata ad eſſe vel fieri eſſe minus propriam, & in rigore non eſſe illam de qua nunc loquimur,

cum ex hoc quod res ordinetur ad eſſe vel fieri, non ordinatur ad aliquid quod ſuperet naturā eius, nihil enim magis poſtulat vnaqueq; natura quam eſſe & conſequēter fieri; Et quia prædeſtinatio propriè dicitur de re quæ ordinatur ad finem ſupernaturalem aſſequēdum, ſequitur prædeſtinationem ſimpliciter conuenire ſubſtantijs non accidentibus; cum conſequi finem ſit proprium ſubſtantiæ, accidentia enim potius eſſe ſolent media per quæ ſubſtantia conſequitur finem; & licet accidentia ordinentur ad ſubſtantiam tanquam ad finem, tamen ille finis non eſt ſupra naturam ipſorum accidentium, nam totum eſſe accidentium in tali habitudine intrinſeca ſibi, & connaturali poſitum eſt, & ideo illa præordinatio, non eſt propria prędeſtinatio prout de illa nunc agimus. Quod adeo verum eſſe cenſemus vt dicamus idem in ipſis etiam accidentibus ſuper naturalibus verificari; Nā licet illa ſint ſupernaturalia homini, tamen naturale illis eſt habere ordinem ad finem ſupernaturalem; Gratia enim eo ipſo quo prędefinitur vt ſit, ordinatur ad gloriam ex natura ſua, homo verò cui tam gratia, quām gloria ſupernaturalis eſt, proprijſsimè dicitur prędeſtinari ad gloriam per gratiam, vnde prędeſtinatio eſt propriè ſubſtantiarum non accidentium. Non tamen dicimus omnium ſubſtantiarum eſſe proprium prædeſtinari, ſed rationalium, vel intellectualium tantū vt docet S.Tho. 1.p.q.23.a.1.ad 3. Nam ſubſtantiæ carentes intellectu nō ordinātur ad beatitudinem, nec ad ſupernaturalem finem, cum illius non ſint capaces; & licet ſubſtantiæ inanimatæ interdum ordinentur ad aliquid ſuperantem naturam ipſarum, vt aqua quando ordinatur ad lauādam animam, tamen hoc non fit per prædeſtinationem propriè, ſed per ſupernaturalem prouidentiam, ex eo, vel maximè quia non ordinatur ad id tanquam ad vltimum finem eius, ſed ſolum tamquam ad ſupernaturalem effectum ordinatum vt medium ad beatitudinem hominum.

Quę res cadant ſub prędeſtinatione tāquam ipſius termini? IX.

PRo certo ſtatuendum eſt malum culpæ non poſſe eſſe prędeſtinationis terminum atq; adeò dicimus abſolutène-

tè neminem ad malum culpæ prędeſtinari. Deus enim ea prędeſtinat quę ipſe eſt facturus, præſcit autem etiam quæ non eſt facturus, neque prędeſtinat peccata vt tradit D. P. Auguſt. lib. de pręd. Sanct. cap. 10. Et licet in aliquo vero sẽſu dici poſsit Deus prædeſtinare aliquos homines ad malum pænę propter S. P. Auguſtinum interdum dicentẽ abſolutè, aliquos eſſe à Deo prędeſtinatos ad gehennam vt patet in Encherid. cap. 100. & lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 1. Quia Deus verè dicitur prędeſtinare illa quæ abſoluta, & efficaci voluntate in ſua æternitate ordinauit, & facere decreuit; non tamen per hoc ſolum dicitur Deus prædeſtinare malum pænę propriiſsime loquendo de prędeſtinatione, cum ad hoc requiratur quod ex ſe & ex ſua beneuolentia, & affectu, & non tantum prouocatus ex præſcientia demeriti ſeu peccati ipſius hominis illum ordinet efficaciter ad aliquem finem; Quod non contingit de malo pænæ, hoc enim Deus non vult hominibus niſi prouocatus ab ipſis. Eſt itaq; terminus prædeſtinationis ſemper aliquod bonum ad quod ex peculiari & efficaci Dei affectu homo ordinatur; at non quodcumq; ſed ſupernaturale. Vnde prædeſtinationis terminus eſt duplex, ſcilicet gratia & gloria ſupernaturalis, illa vt proximus, hæc vt vltimus.

Quis nam actus eſsentialiter intellectus aut voluntatis Dei ſit prędeſtinatio? X.

CVm prædeſtinatio ſit actio Dei, an ad intellectum vel voluntatem potius attineat non pauci dubitant. Aliqui hanc quæſtionẽ de nomine eſſe dicunt ac perinde quicquid dicatur parum eſſe curandum, dummodo de re ſit cõſenſio; tamen poſſe tolli currentem difficultatẽ pro vtraq; litigantium parte arbitrãtur dicendo prædeſtinationem ob actus ad eam integrandam conſpirantes, pręſcientiam, mediorum excogitationem, electionem cum efficacia, vtriuſq; eſſe potentię. Dicunt alij ad intellectum pertinere, quoad originem, ad voluntatem quoad terminationem. Quæ quidem reſponſa (pace illorum) quęſiti punctum haudquaquam attingunt, cum ſolũ actus in quo ipſa formaliter dicatur

catur

catur conſtituta,ſit controuerſus in quæſito. Nám certiſſimum eſt quod D. Tho. & ſubtili Scoto cōpertum erat prædeſtinationem vtrumq; actum inuoluere, & in diuerſo genere magis ſpectare ad vnum quam ad alium actum, & nihilominus D. Tho. dicit eſſe actum formaliter intellectus; Scotus vero actum voluntatis. Placet itaq; nobis ſi dicatur prædeſtinatio eſt præſcientia, ſed non tantum, eſt electio ſed non tantum ſed hoc & illud, ità vt a præciſione ſemper ſit cauendum abſolutè loquendo. Loquendo tamen in ſenſu formali & eſſentialiter vt ſonat quæſitum, Prædeſtinatio eſt formaliter & eſſentialiter actus intellectus neceſſario & intrinſecè præſupponens actum diuinę voluntatis: Quod ſi quęrant Thomiſtæ vel Scotiſtę quis nam actus intellectus ſit, conſilij aut iudicij practici, vel imperij? Reſpondemus eſſe immediatius ab imperio quam a quocumq; alio actu diuini intellectus ſeu voluntatis; cum imperium adhuc formaliter ſit actus intellectus neceſſario præſupponens actum voluntatis.

Sit ne voluntas abſoluta dandi gloriam electis, primus actus, quem Deus habet erga homines qui ſaluantur? XI.

QVia gloria ſeu beatitudo, finis eſt gratiæ, & omnium donorum eius, & finis ſolet prius amari quā media, contendunt Theologi; An primus actus quem diuina voluntas habet circa homines, qui ſalutem cum effectu conſecuturi ſunt, verſetur circa ipſam, & prius ratione, quam circa media diuinæ gratiæ? Vt autem tollatur ambiguitas vocum, ſupponimus ſermonem eſſe de voluntate abſoluta & efficaci, & non tantum de voluntate ſimplicis complacentiæ, nam quod aliqua voluntas antecedere debeat, nemo eſt qui dubitet, ſed illa eſſe poteſt ſimplex affectus, ſeu antecedens vel cōditionata voluntas quam Deus etiam habet erga eos qui non ſaluantur; Et quia Deus vult prædeſtinatis ita gloriam vt non velit illam ſine meritis, & ita vult merita vt non velit illa ſine vocatione, adiutorio, & noſtra cooperatione ſecundum ſententiam quorumdam; hinc affirmant impoſsibile eſſe vt voluntas abſoluta dandi gloriam

in aliquo ſigno rationis præcedat vel ſequatur præſcientiam & voluntatem meritorum, & aliarum gratiarum quæ conferuntur prædeſtinatis. Quæ ſententia, cum non ſit apta ad explicandas rationes diuinæ prouidentiæ, & prędeſtinationis, quas non ſine aliquo ordine prioris & poſterioris, fundato in habitudine vel cauſalitate ipſorum effectuum inter ſe, explicare non poſſumus, nobis nullo modo placet. Qui autem dicunt voluntatem abſolutam dandi gloriam nõ eſſe in Deo ante præuiſa merita, & conſequenter nec ante voluntatem dandi gratiam à qua procedant illa merita, tamẽ poſt hanc præſcientiam, & voluntatem meritorum & gratiæ ſubſequi in Deo voluntatem dandi gloriam, & ità inter has voluntates eſſe rationis ordinem, & in illo eſſe poſteriorem voluntatem dandi gloriam. Abſolutè loquendo pariter hæc ſententia nobis non arridet; in genere tamen cauſæ materialis & in ordine executionis, poteſt defendi. Abſolutè verò loquendo dicendum eſſe arbitramur, primũ actum voluntatis diuinæ circa ſaluandos homines fuiſſe dilectionem ſeu electionem qua voluit & intendit illis dare gloriam voluntate abſoluta & efficaci ſine actuali pręuiſione meritorum, cum in Deo præſertim intentio finis præcedere debeat voluntatẽ circa media, ſaltim ordine rationis.

Quando facta fuerit prædeſtinatio; An ante vel poſt præuiſionem peccati originalis? XII.

QVicquid alij dicant, nos in eam petimus ſententiam, quæ eſt D. P. Auguſtini Epiſt. 105. 106. & 107. & in Enchirid. cap. 94. & lib. 1. ad Simplic. q. 2. & lib. 2. cont. duas epiſt. Pelagian. cap. 7. & de Pręd. & gratia cap. 3. in quibus planè locis, & pluribus alijs docet, quod Deus antequam aliquem hominum eligeret vel expelleret à regno vidit totam maſſam naturæ humanæ infectam labe peccati originalis, ex qua Deus miſericordia motus quoſdam elegit, alios verò in ea infælici miſeria dereliquit. Quam quidem ſententiam ſequitur S. Tho. 1. p. q. 23. a. 1. ad 3. dicens, quod licet Angeli fuerint prædeſtinati, aliter tamen quam homines; quippe illi prædeſtinati ſunt antequam eſſent

ſent miſeri ideſt antequam eſſent in peccato. & in 3.d.10. q.39. ait terminũ à quo noſtræ prædeſtinationis fuiſſe peccatum; Quapropter aſſerimus quod prædeſtinatio omniũ hominum infallibiliter ſaluandorum, non fuit facta à Deo ante præuiſum originale peccatum.

Quomodo ſe habuiſſet Deus in ſupernaturali prouidentia hominis ſi ipſe in ſtatu iuſtitia originalis perſtitiſſet? XIII.

IN hac grauiſsima dubitatione dicendum cenſemus indubitanter ſtatum illum iuſtitiæ originalis ſecundũ rationem ſuam poſcere prouidentiam illam ſupernaturalem & communem, qua Deus decerneret omnes homines ordinare ad beatitudinem ſupernaturalem per ſufficientia media & de facto ità decreuit; Vnde ait D. P. Auguſt. Feciſti nos Domine ad te; quaſi dicat Nos omnes ad Te finem ſupernaturalẽ ordinaſti: Hinc nullo modo approbamus ſententiam aſſerentium Deum ſe habuiſſe merè negatiuè circa hominem in illo fęlicisſimo ſtatu, ſcilicet nec ordinando eum ad finem ſupernaturalem, nec deordinando ab illo: ex eo vel maximè quia alias illi Homines in puris naturalibus remanerent, nec illis eſſet pœna carere gloria, nec culpa carere gratia ſi ex natura ſua nec ex Dei gratuito amore fuiſſent illuc ordinari, ſaltim per ſufficientia media. Addas quod præhabita illa generali ordinatione, Deus omnibus hominibus permiſiſſet peccare ſi peccare voluiſſent, vt de facto primo parenti permiſit, & in eo omnibus hominibus, quia natura humana poſcebat vt duceretur in finem ſupernum conformiter ad modũ ſuum qui eſt vt liberè ſe habeat ad vtrumlibet. Si autem ſtatus ille perduraret non dubitamus quin multi fuiſſent prædeſtinati (nullus tamen ſecundum illum ſtatum fuit de facto prædeſtinatus) Prouidentia enim illa communis & ſupernaturalis ordinatur ad complementum, & conſummationem quæ eſt ſecũdum glorificationem; Non eſt autem credibile quod in aliquibus, imò in pluribus talis prouidentia non compleretur. Et licet Doctores grauiſsimi ſentiant quod Adamo nõ peccante omnes eius poſteri fuiſſent cõfirmati in gratia, ac cõ-

ſequen-

ſequenter omnes fuiſſent prædeſtinati; Nos tamen cum D. P. Auguſtino oppoſitam ſententiam amplectimur; Docet enim ipſe 14. de Ciuit. Dei cap. 10. Quod tunc fælix vniuerſa eſſet humana ſocietas ſi nec illi (ſcilicet primi Parentes) malum in poſteros traijcerent; nec quiſquam ex ſtirpe eorum iniquitatem committeret, quæ damnationem reciperet. Ex quo ſecundum D. Tho. qui eum ſequitur in hac ſententia 1. p. q. 100. a. 2. datur intelligi, quod etiam ſi primi homines non peccaſſent, aliqui ex eorum ſtirpe potuiſſent iniquitatem committere, vnde eius poſteri non naſcerentur in iuſtitia confirmati; Quod ſi non peccarent id nõ eſſet quia non poſſent peccare vel quia in iuſtitia fuiſſent confirmati, ſed propter peculiare donũ perſeuerantię quod fuiſſet donum naturæ particularis, non vero totius naturæ humanæ; Manifeſtum eſt enim quòd pueri in ſua natiuitate non habuiſſent plus perfectionis quam eorum parentes in ſtatu generationis, quiquidem quandiu generaſſent non fuiſſent confirmati in iuſtitia. Dicimus itaquè quod ex natura illius ſtatus iuſtitiæ originalis fuiſſet tum prædeſtinatio tum reprobatio iuxta beneplacitum diuinum.

Quę nam ſit cauſa ipſius Prædeſtinationis? XIIII.

IAm ſi ad illam altiſsimam cauſę Prędeſtinationis profunditatem ſcrutandam quiſquam nos arctet. Illud in primis D. P. Auguſtini lib. 6. Hypognoſt. occurit pro reſponſione aſsignare; Taceat humana lingua, & prorſus in prædeſtinatione de meritis non extollatur, diuinæ voluntatis eſt hoc donum, non humanæ fragilitatis meritum. Vnde D. Tho. 1. p. q. 23. a. 5. docet prædeſtinationem ex parte actus prædeſtinantis nullam habere cauſam, ſed tantum ex parte effectus in particulari non in communi, quia impoſsibile eſt quod totus prædeſtinationis effectus in cõmuni habeat aliquam cauſam ex parte noſtra; Habet tamen hoc modo prædeſtinatio ex parte effectus pro ratione diuinam voluntatem, ad quam totus effectus prędeſtinationis ordinatur vt in finē, & ex qua procedit ſicut ex principio primo mouente; Non enim ex operibus iuſtitiæ quę

fecimus nos,ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit clamat Apoſt. ad Tit.3.& ad Ephes.2. Gratia eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur. Nulla itaq; datur ex parte noſtra, cauſa, ratio, vel conditio, propter quam diuina prouidentia ſupernaturalis comparatione huius vel illius, ſortiatur rationem formalē prædeſtinationis, ſed prædeſtinatio ipſa reducenda eſt in ſolam Dei volūtatem gratuitam. Nec placet nobis abſolutè loquendo ſententia quorumdam dicentium prædeſtinationem ad gratiam factam fuiſſe à Deo antecedenter ad pręſcientiam boni vſus liberi arbitrij, ad gloriam verò factam fuiſſe ex meritis gratię pręuiſis; Sancti enim Patres & ſcriptura ſacra docet vt iam viſum eſt, prædeſtinatos eſſe electos ante præuiſa merita. Non negamus tamen, quod electio ad gloriam quātum ad executionem quæ fit in tempore, non ſit abſq; præcedentibus meritis gratię & ſaltem ipſius Chriſti reſpectu paruulorum, qui abſq; proprio merito gloriam conſequuntur.

Sint ne merita Chriſti cauſa noſtrę prædeſtinationis? XV.

CVm ex parte obiecti voliti à Deo aſsignari poſsit cauſa vel ratio diuinę voluntatis, & ad dignitatem, & excellentiam Chriſti Domini, & meritorum illius pertineat quod eadem ſint cauſa noſtræ prędeſtinationis, cenſemus omnium auxiliorum, & totius gratiæ quæ in natura lapſa conferuntur hominibus, merita Chriſti præuiſa eſſe cauſā, Prędeſtinationemque eius eſſe quoque cauſam prædeſtinationis noſtræ quoad integrum effectum illius in triplici genere cauſæ, ſcilicet in genere cauſæ efficientis, in quantum ipſe eſt auctor noſtræ ſalutis, & in genere cauſę formalis in quantum in filios Dei ad imaginem eius prædeſtinamur, & in genere cauſæ finalis in quantum noſtra ſalus in eius gloriam redundat. Non tamen aſſerimus Chriſtum meruiſſe nobis prædeſtinationem, & efficacem electionem ad gloriam quantum ad abſolutum ipſius actū prędeſtinantis, ſed ſolum quantum ad reſpectiuum quod connotat, ſeu quantum ad terminationem ad aliquas perſonas. An verò ele-

ctio

ctio cōparatiua & efficax huius in particulari præ alio, fuerit facta ex meritis Chriſti, maiorem infert difficultatem. Pace quorumdam dicatur, Chriſtum meruiſſe electionem comparatiuam prædeſtinatorum formaliter ſumptam, non autem materialiter; Nam Chriſtus non meruit quod aliqui in particulari vel in communi determinatè non diligerentur aut non eligerentur à Deo, ſed meruit quod cū omnes homines poſsint à ſe ipſis à fine ſupernaturali ſuppoſita diuina permiſsione deficere; Aliqui tamen deſignarentur à Deo in quibus ipſa Chriſti merita ſuum conſequerentur effectum, ita vt deſignationem materialem eligendorū ad gloriam infallibiliter Chriſtus reliquit Patri.

Qualis nam ſit certitudo prædeſtinationis? XVI.

SEcundum fidem catholicam aſſerendum eſt prędeſtinationem eſſe certam & infallibilem quantum ad aſſecutionē effectus, vt habetur Ioan. 10. Oues meæ vocem meā audiunt, & nemo rapiet eas de manu mea; Addas quod prędeſtinatio non ſolum eſt certa certitudine præſcientiæ, ſed etiam certitudine cauſalitatis mediorum, qua electi ad vitam ęternam peruenient, ad talem gradum glorię, ità vt nec maiorem nec minorem conſequantur: Quæ quidem certitudo non in præſcientia futuræ cooperationis arbitrij, ſed in abſoluto & efficaci decreto diuinæ voluntatis Dei tamquam in prima radice fundatur. Abſit autem affirmare, prædeſtinationem ita eſſe certam ex mæra Dei pręordinatione, vt nullam prorſus certitudinē habeat ex pręſcientia liberę cooperationis arbitrij abſolutè futurę ex decreto prędeſtinantis. Quapropter concludimus prędeſtinationem eſſe certam & infallibilem ex vtroque capite, primò quidem & principaliter ex libera electione Dei prædeſtinantis, qui potens eſt id quod prędeſtinauit implere, ſecundario & conſequenter ex præſcientia liberæ cooperationis arbitrij phyſicè prædefiniti ſeu prædeterminati à Deo, cū auxilio efficaci diuinæ gratię.

Quo nam modo Deus ſe habeat erga Reprobos? XVII.

DE fide eſt quod nulla iniquitas eſt apud Deum, nulla crudelitas, nulla indecẽtia ex hoc quod Deus aliquos reprobet. Loquendo namq; D. Paulus ad Rom. 9. de reprobis ait. Numquid iniquitas eſt apud Deum? Reſpondet, abſit. Siquidem quidquid Deus vult & ordinat, aut quidquid nõ vult & non ordinat, & pręterea quidquid permittit circa reprobos, vel facit propter culpam eorum præuiſam, vel non erat illis debitor Deus vt oppoſitum faceret eius quod facit. Quòd ſi de ſuo Deus cui vult ipſiuſmet bona impertiatur, nulli facit iniuriam aut iniuſtitiam, licitũ enim eſt cuilibet facere de ſuo quod ſibi videtur, vt habetur Matt. 20. An non licet de meo quod volo facere? Quod ſi homo ob tenuitatem ingenij ſui non poteſt commodè intelligere quo pacto Deus in reprobatione quorũdam hominum liberetur ab acceptione perſonarum, & ab iniuſtitia, quę duo prorſus aliena ſunt à Deo, debet fide captiuare intellectũ & credere quod nulla eſt iniquitas apud Deum ſi ex duobus æqualibus alterum eligat, alterum verò reprobet, & proclamare cum Paulo ad Rom. 11. O altitudo diuitiarum ſapientiæ, &c. Sciat tamen quod quamquã Deus ab æterno plurimos reprobauerit, per huiuſmodi tamen reprobationem non abſtulit ab eis liberum arbitrium, quo ſi voluiſſent cum gratia ſufficienti, poſſent benè operari. Nam Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ex conſequenti voluit prouidere vniuerſis media ad huiuſmodi finem neceſſaria. Sciat etiam quod ſi Deus ipſis reprobis poſt primum peccatum denegaret auxilia neceſſaria ad ſalutem conſequendam, nihil alienum à ſua æquitate faceret. De facto tamen tenemus quod nulli Reprobo dum cũ vſu rationis viuat, deneget Deus etiam in extremo vitæ auxilia neceſſaria, & ſufficientia ad ſalutem conſequendam. Docet enim S. P. Auguſt. lib. 1. retractationum cap. 19. quod de quocumq; peſſimo in hac vita conſtituto non vtiq; deſperandum eſt, neq; pro illo imprudenter oratur de quo non deſperatur; Quem ſequitur S. Tho. 3. p. q. 86. a. 1. vbi ait

ſim-

ſimpliciter dicendum eſt quod omne peccatum in hac vita per pęnitentiam veram deleri poteſt.

Quæ nam ſit cauſa reprobationis? XVIII.

CVm D.P.Auguſtinus epiſt. 107.ad Vitalem inter alia ſcribat. Multi ſalui non fiunt, non quia ipſi nolunt, ſed quia Deus non vult,quod abſque vlla caligine monſtratur in paruulis; Et idem doceat de Bono perſeuerant. cap. 12. vbi ait Non eſſe adſcribendum fato vel fortuitis caſibus quod aliqui paruuli moriantur antequam baptizzentur,ſed Dei prouidentiæ, & voluntati; Cumq; abſolutè habeatur in ſcriptura ſacra, Non ex operibus,ſed ex vocante dictum eſt Iacob dilexi,Eſau odio habui;Dicimus,quicquid alij dicant,quod Reprobatio qua Deus ſtatuit efficaciter non dare aliquibus vitam æternam, & permittere peccatum, non eſt conditionata ſed abſoluta, nec præſupponit in Deo prę ſcientiam,vel præuiſionem demeritorum ipſius reprobi,aut perſeuerantiæ in peccato vſq; ad vltimum vitæ. Quod non obſcurè indicat S. Tho. 1. p. q.23. a. 3.dum dicit Quod reprobare nihil aliud eſt niſi quod Deus quibuſdam non vult hoc bonum quod eſt vita æterna, & ſic dicitur etiam eos odio habere. Hinc patet in paruulis decedentibus cum ſolo peccato originali, nullam dari ex parte illorum cauſam reprobationis, ſi conſiderentur in particulari, & comparatiuè in ordine ad alios,qui non ſunt reprobati; docet enim S. Tho. loco citato,quod omnes paruuli quantum ad naturam ſunt æquales, & ſimiliter quantum ad peccatum originale; Addimus quod non ſolum comparatiuè ſed etiam abſolutè loquendo nulla datur cauſa reprobationis cuiuſcumq; reprobi; Non enim (vt Quidam putant) peccatum actuale neque originale, neque vtrumq; ſimul præuiſum à Deo fuit de facto cauſa meritoria vel motiua reprobationis alicuius, quantum ad omnes illius effectus; Siquidem permiſsio primi peccati propter quod Reprobus tandem damnatur,eſt effectus reprobationis ex D.Tho.loc.cit.vbi habet quod ſicut prædeſtinatio includit voluntatem conferendi gratiam & gloriam,ita reprobatio includit volunta-

tem permittendi aliquem cadere in culpam, & ferendi dãnationis pęnam pro culpa, & quia illius primæ permiſsionis peccati nulla datur cauſa ex parte reprobi, cũ ante primum peccatum non detur aliud peccatum præcedens, aliàs illud non eſſet ſimpliciter primum, vel in homine pręcederet aliud peccatũ commiſſum, Deo non permittente, quod eſt contra S. P. Auguſtinum in Encherid. cap. 95. proinde nullus admiretur ſi a nobis aſſeratur cum D. Tho. ex parte noſtra non dari cauſam totius effectus reprobationis. Nam S. Doctor. q. 6. de Verit. a. 2. ad 9. cum aſsignaſſet duplicem cauſam reprobationis in hominibus, alteram ſecundũ S. P. Auguſtinum ſcilicet peccatum originale, alteram diuinã voluntatem, quæ rationabiliter poteſt velle denegare aliquid alicui, quod illi non debetur cum ſit merè gratuitũ; Deinde ipſemet 1. p. q. 23. a. 3. vbi ex profeſſo agit de reprobationis cauſa, primam cauſam ſubticuit nimirum peccatum originale, & ſecundam aſsignauit ex illis adductis, q. 6. de verit. dicens Quare hos eligat de gloriam, & illos reprobet non habet rationem, niſi diuinam voluntatem. Ex quibus apertè patet, ſententiam S. Tho fuiſſe peccatum originale non eſſe cauſam reprobationis quantum ad integrũ illius effectum, de facto pręcipuè loquendo. Quam ſententiã nec noſtro D. P. Auguſtino contrariã cenſemus; Quem oramus vt præcibus eius non damnationem, ſed gloriam æternam à Deo miſericorditer conſequamur; Poteſt enim prædeſtinatio adiuuari pręcibus ſanctorum.

Diſputabuntur publicè in S. Nicolai Piſarum Templo pro Feſto S. Catharinæ Hora 20. Argumentis ſatisfaciet Frater Io. Baptiſta à Loco nouo Studentium Magiſter, ſub P. Regentis Cypriani Maſi Florentini fælici ac tuto præſidio.

1038.17
2

99 956967

23

1038.17

XXXVIII